

Paradoxa sunt, quæ Fioravanta (n) refert, nescio quibus autoribus, à me tamen non reticenda hoc loco, ubi, ut occultas hujus venenatæ Luis causas indagem, ad varia flectere animum necesse est. Curatores enim Exercitus Gallici pro carnibus ursinis, (forsan urorum) ordinario tunc temporis Gallorum in militia pabulo, carnes sui generis, id est humanorum cadaverum, substituisse, refert. Quod exploraturus idem Fioravanta, porcum carne porcina, canem canina aluit, & utrosque pilorum defluvio & pustulis vexatos, narrat. Nec multo aliter le Grand, (o) initium morbi, qui antea Indis & Canibalis fuerat proprius, in obsidione Neapolis ponens, ex carnibus humanis comestis, quas sale conditas mercatores Mauritanii loco thunnorum (piscium genus) in castra obsidentium detulerant. Piso autem (p) diversam à prioribus Luis causam profert, alimentum sc. fœtidum & falsum, potumque rancidum & corruptum, quam quidem regioni Brasiliensium endemiam statuit sub nomine Bubas, distinctam tamen vult à morbo gallico, quem illuc aliunde adferri putat, Symptomatis quidem non ita ab- similem, cura vero non item. Cui Varandæum hic subjun- go, ex aëre indico & alimentis, morbum deducentem: item Thierry de Hery, (q) qui, puto, ne aberraret, omnes tan- dem causas commiscuit: nam & ex aëre corrupto, & infe- ctione aquæ & alimentorum, & influenza cœlesti venere- um malum derivat. Huc etiam Lister referendus est; quan- quam enim dicat ex morfu animalis venenati, non aliter ac Hydrophobiam, pestem hanc contingere potuisse; probabi- lius tamen putat, illam esui serpentum natales suos debere, quos Americani in deliciis habent: quod probat ex Oviedi observatione; edere sc. illos inter alia serpentem quadru- pedem nomine *Iguana*, idque avidissime, cum carnibus cuni- culorum sapidiorum pronunciant. De quo & illud refert, esum ejus nulli nocere nisi lue venerea adfecto: morbum enim

(n) *Capricc. Medic. l. 1. c. 27.* (o) *Hist. Nat. part. 8. Art. 10.* (p) *de Medic. Brasil. lib. 2. cap. 19.* (q) *La Methode Curatoire de la Maladie Venerienne p. 2. § 12.*